

C V I S

1 6 3 6




- I Joh
- I Iohannis Langen tractatus duo unus de exceptionibus alter de
questionibus
 - II Andree Knichen av Jorggia
Disputationes iuridicae
 - III De Iuramentis in genere D. Kremsbergen
 - IV De Mutuo D. Grossii
 - V De Iuramento Iudiciali D. Kremsbergen
 - VI De iuramento testimonii et purgationis D. Kremsbergen
 - VII De Engli venditi contra chi D. Casp. Zovii
 - VIII De Usuris D. Gratii
 - IX De pignoribus et hypothecis D. Casp. Zovii
 - X De hodo. L. Avenarii
 - XI De Furtis D. Gratii.


EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.


Ma. 24.


7c


























3

III.
DISPUTATIO JURIDICA
De
JURAMENTIS
IN GENERE,

Quam
Auspicante DEO ter Opt. Maximo,
&
Consentiente Magnifico atq; Amplissimo in celeberrima ad Albim Academia JCTORum Ordine,
SUB PRÆSIDIO
Clarissimi & Consultissimi VIRI,
DN. CHRISTIANI Kœrnerbergk /
J. U. D. Juridicæ Facultatis Adessoris, & Judicii
Electoralis Curie Advocati dignissimi &c. Præceptoris ac Fautoris sui æviternum colendi,

Publicè ventilandam proponet
MELCHIOR Hoffmeister Alfeldiâ-Brunsvig.

Ad diem 19. Novemb.
In Auditorio JCTORum.

Isocrates ad Demonicum.

Juramentum tibi delatum duabus de causis suscipe, vel, ut teipsum turpi suspicionem liberares, vel ut amicos è magnis periculis eripias. Pecuniæ verò causâ, etsi vera dicturus sis, D E U M non juraveris: ne aliis perjurus, aliis avarus esse videaris.

WITTEBERGÆ
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH.
ANNO clō 1ō C XXIX.

98

JURAMENTIS
IN GENERE

Auspiciis D. O. S. P. Maximo

Consuetudine Magnae Curiae
SUB RESIDIO
Causae & Confessione

DR. CHRISTIANUS
R. O. D. Juridice Facultatis
Becensis Curie

MELCHIOR

Magister in
Juris Doctor

procurator
Magister in
Juris Doctor

WITTEKAMP
LUDWIG SALOMON
anno 1712






In nomine Domini nostri

JESU CHRISTI ad omnia consilia omnes-
que actus semper progredimur. *l. 2. pr. C. de offic.
pref. prator. l. 2. §. 1. C. de vet. jur. enucl.*

PROOEMIUM.

Um, ut sapienter monet Hip-
pocrates, *Vita nostra brevis sit,
Ars verò longa*: ideò rectè sua-
dent I C T I, ut relictis illis, quæ
magis ad otium, quàm negotium, magis ad
jucunditatem, quàm utilitatem spectant,
cotidiana (a) & frequentissima (b) ob utili-
tatem curemus, quæq; notabiliter fiunt, ne
videantur (c) neglecta, speciali tractatu de-
signemus. Quamvis autem tanta utilitas in
singulis (d) nostri Juris partibus animadver-
tere sit, ut vix altera alteri palmam conce-
dere posse videatur: impræsentiarum ta-
men *Juramentorum* materiam, quam fre-
quentissimam (e) & utilissimã (f) cernim9,
in manus cum bono Deo sumere visum est.

A 2

(a) l. te-

(a) *l. legavi Titio. 25. in pr. D. de liberat. legatâ & ibi Gothof.* (b) *l. certè. 6. §. fin. D. de precar. l. certi 9. §. si nummos 8. D. de reb. cred. arg. l. 3. D. de ll. Nov. 94. c. 2. l. 64. D. de R. I. & ibi Dd.* (c) *l. item apud 15. §. hoc edictum 26. D. de injur. l. 1. §. dixerit. 2. D. de public. & veditigal. Coler. in tract. de process. execut. præfat. n. 6. Nevizan. in sylva nuptial. lib. 4. n. 169.* (d) *arg. l. 1. §. 2. inf. D. de just. & jure.* (e) Nul- lum enim ferè est negotium, nullus contractus, nullaq; actio, in quâ de juramento & perjurio quæri non possit vel soleat, Serfer. *in tr. de juram. præfat. n. 1.* si fortè fides interposita franga- tur, quam Cicero *lib. 1. offic.* appellatam credit, quia fiat, quod dictum est: quæ ob id fundamentum justitiæ dicitur, h. e. dicto- rum, factorum, conventorumq; constantia & veritas. Si verò non fiat, quod dictum est, tum fidei nomen moritur, ac inde odia, simultates, inimicitia, lites, diffidia & bella nascuntur inter mortales, quibus propterea jam inde ab initio curæ fuit de ea ipsa fide retinenda sustentandaq; adminiculis, ut ne de- cideret, inventis pactis, promissis, sponsonibus, prædibus, va- dibus, actionibus atq; judiciis, quibus testes interveniunt. Sed quoniam nihil est, quod hominum mentes magis in officio re- tineat, quàm metus Numinis, ad extremum inductum est jus- jurandum quasi pignus quoddam & arrha fidei, quod fidem ar- ctiùs omni vinculo obstringeret, obligaret, obfirmaret, quia Numen divinum interponeretur. Ex quo hanc religionem optimus quisque semper veritus est, sic, ut complures omni tempore maluerint vitam deserere, quàm jusjurandum suum negligere, ut perjuri nequaquam haberentur. Polyd. Vergil. *in proem. ad dialog. de jurejur. & Perjurio.* (f) Magna siqui- dem semper vis, magnisq; effectus & religio tum apud omnes populos, tum præsertim Romanos fuit jurisjurandi, quacunq; ratione vel in judicio, vel extra judicium præstiti, teste Cic. *lib. 3. de offic.* ubi inquit: Nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arcitius esse voluerunt. Id indicant L. L. 12. tabb. indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notationes an. madversionesq; Cen- sorum, qui nullâ de re diligentius, quàm de jurejurando judica- bant. De quo infra pluribus.

The-

THESIS I.

Ubi statim se offerunt illi, quibus persuasum, homini Christiano jurare non esse licitum; quorum stante sententiâ, supervacua efficeretur nostra tractatio. Sed illorum superstitio nobis non a probatur; modò non temerè, non improbè & illicitè, sed ex justa & honesta causa juretur.

(a) Id quod è Codice sacro, purissimo Fidei & veritatis fonte satis superq; confirmare possumus, quandoquidem ipse Deus juravit. *Gen. 22. v. 16.* & juramenta injungit in certis casibus per magistratum. *Exod. 22. v. 11.* Et lex Dei *Deut. 6. v. 13.* expressè dicit: Per nomen Dei jurabis. Jungantur & alia scripturæ loca, *Gen. c. 26. § 47. Levit. c. 19. Matth. c. 5. v. 33. Apost. ad Rom. c. 1. v. 9. § 2. ad Corinth. c. 1. v. 20. cum simil. vid. infra tb. 16. lit. c.* Maximè verò *Epist. ad Heb. c. 6. v. 16.* ubi dicitur, quòd omnis controversiæ finis debeat esse juramentum. Est enim jusjurandum maximum vinculum ordinis Politici, ejusq; usus ex variis causis in Re- pub. necessarius, cum modò ad fidem astringendam, modò ad contractum aliquem corroborandum adhiberi soleat; ut qui fide & honestate non moveatur, ad minimum religionis cultu, & divini numinis metu à perfidia deterreatur, *Borch. in tr. de jurejur. c. 1. n. 2. § 3. Setser. eod. lib. 1. c. 2. n. 22.* Testatur id historia Augusta de Numa Pompilio, qui tanto religionis cultu omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum propulso legum ac pœnarum metu civitatem regerent, *Liv. lib. 1.* Cùm autem constet Politicum ordinem à Deo institutum & approbatum esse, non dubium quoque erit, quin & jusjurandum, ut salutare societatis humanæ ligamentum ab eodem approbetur. *Philipp. Mel. in Eth. sub. tit. de juramentis p. 252.*

A 3

2. Jura-



Juramentum autem (Græcis ὄρκιον, et Germanis ein Eidt/) b quod & jusjurandum, c sacramentum, d religio, & jurisjurandi religio, e & dejurium f appellari solet, à jurando dicitur.

(a) vel quasi ὄρκιον, quòd sit finis ac terminus controversiarum; vel quasi ἔρκιον sepimentum, claustrum, ἀπὸ τῆς ἐργασίας, quod significat includere, cohibere, quòd juramentum jurantes certos intra limites quasi coerceat & cohibeat. Setser. l. 1. c. 1. n. 7. Hilig. in Donell. lib. 24. c. 12. lit. D. de jurejurand. (b) q. Eindt / ut constat ex Gorop. lib. 4. Hermathena, unitum sc. cum eo, qui solus verè unus est, cum quo jurantes consentire se asserunt. Jacob. Ebert. in hist. juram p. 18. D. citur etiam ein Eidschwur / vel simpliciter ein Schwur ac schweren / à gravitate & onere, quod jurantes in se suscipiunt, quia res periculosa & difficilis. Præallegati Dd. dictis locis. (c) t. t. D. de jurejurand. & C. de reb. creditis & jurejur. vel quòd jurari debeant tantum justa: l. non erit. §. §. sed si quis 3. ibi, ac si juratum non esset. D. eod. c. quanto. 18. Extr. eod. vel q. Jovis jurandum (ut vult Lipsius lib. 1. Elect. cap. 18. p. 567. ex loco Apulei de Deo Socratis à se emendato) quòd hic honos jurandi summi Deorum proprius, secundum illud Ennij, quod extat quoq; apud Ciceronem lib. 3. de offic.

Fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.

Quamvis a non incòmodè hæc duæ appellationes distingui possint; ut juramentum sit de causa qualibet etiã non controversa, jusjurandum autem super controversia: tamen & Ius Canonicum & Interpretes / posteriores illud non usquequaque attenderunt, moti exemplo Justiniani Imp. in l. penult. C. de reb. cred. & jurejurando. (d) l. si quis jusjurandum 11. vers. si quis autem l. generaliter 12. in pr. & l. fin. C. de reb. cred. & jurejur. l. 1. & l. 2. C. de jurejur. propter cal. dando l. rem non novam. 14. in pr. C. de judic. l. fin. C. de fideicom. l. fin. §. licentia. C. de jure delib. l. fin. C. de non

num.

*sum. pec. Auth. sacramenta puberura C. si advers. vendit. c. 1. §. item
sacramenta. De pac. juram. firm. ita dictum q. sacræ rei arctissi-
mum vinculum, quo nullo modo sit ludendum, teste Cic. l. 3.
offic. vel à sacro, q. jus sacratum. Virg. Æneid. 2. vers. 157.*

Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura.

*Cuiac. in parat. C. de reb. cred. §. jurejur. quòd jurans q. devovere &
sacrare sese intelligatur: vel sacro testimonio suæ assertioni fidē
facere conetur, & se quasi consecret & offerat ad pœnas. Setser.
d. loc. n. 4. & 5. quò collimat quoq; Duarenus in post. comm. cap. 1.
ubi ait: Jurare est devovere & sacrare, quia aliquid inest sacri.
Sacer enim Romanis dictus, cujus corpus Deo cuidam, infero-
rum præsertim, devovebant, ut impunè occidi posset, Rævard.
ad ll. 12. tabb. c. 4. (e) l. 1. l. multò magis 24. l. sed et si servus 25. D. de
jurejur. l. videamus 4. §. deferre 3. D. de in lit. jurand. d. l. si quis jusju-
randum 11. C. de reb. cred. §. jurejur. l. fin. C. eod. à religandis menti-
bus, secundum Julium Front., quòd nos quodam vinculo pie-
tatis devinciat atq; religet, unde & jusjurandum timorem &
metum jurantibus injicere dicitur. l. quæ sub conditione 8. in pr.
D. de condit. instit. lib. 1. C. de jurejur. propter calumniam dando.
Borch. d. tr. c. 1 n. 10. & 11. Et hæc religio quemlibet monere debe-
bat, tum ut inviolatè sanctèq; præstetur & servetur juramen-
tum; tum ne temerariâ levitate ad jurandum quis proflire au-
deat, id quod ipse Imperator Justinianus innuit Novell. 94. c. 2.
(f) Agellius l. 7. Noët. Attic. c. 18. à deiero, quod est vehementer
juro. arg. l. 1. D. de posit. ubi præpositio DE, in verbo deponere, vim
habet intensiōnis, uti & in deamare, demirari & c. Sicut autem
Dejuriū pro juramento nonnunquam ponitur, ita & dejerare
pro jurare usurpatur ab Apuleio lib. 10. & Tertulliano Apol. ad-
vers. gent. c. 32. & de idololat. c. 30.*

III.

*Et definitur, quòd sit Invocatio Dei, a
quâ petimus, ut sit testis b nostræ asseve-
rationis, & puniat c fallentes.*

(a) Va-

(a) Varii variè definiunt: verùm quia pleræque defini-
 tiones ad omnes species referri non possunt, ex. gr. quando di-
 citur, quòd sit certa litis definitio, quæ sit cum obtestatione
 divinâ; quilibet vider, eam tantùm complecti speciem judi-
 cialis juramenti: ideò illam retinere voluimus cum Wesem-
 becio *in parat. D. de jurejur. n. 2.* quam definitionem quasi expli-
 care videtur Jacob. Ebert. *tract. Ethico de jurament. tit. de definit.*
pag. 23. cum priorib. aliquot. cùm definitur juramentum, quòd sit
 Assertio rei legitimæ, in cujus majorem fidem ac confirmatio-
 nem DEUS ipse testis vocatur, & jurans ultrò se obligat ad
 pœnas exitii æterni, si fallat. (b) Duæ enim sunt Jurisju-
 randi partes: altera invocatio DEI, ut ipse *καρδιογνώστης* testis
 sit nos vera dicere: altera imprecatio nostri, quâ devovemus
 nos pœnis & vindictæ divinæ, si fallamus, Wesemb. *d. loc.* Un-
 de apparet, quòd verum juramentum non sit, ubi citra invoca-
 tionem divini Numinis, diris execrationibus quis se devovet,
 veluti nisi te duxero, Diabolus me abripiat &c. Waremund de
 Erenberg. *Meditam. pro fœderib. lib. 2. cap. 1. num. 137. & seq. add.*
 Hering. *de fidejussorib. cap. 19. n. 140. & seqq.* Hillig. *in Don. lib.*
24. cap. 13. lit. F. de jurejur. Per asseverationem autem sive af-
 firmationem etiam implicite negationem intelligimus, uti in
 definitione Pacti verbo dandi aut faciendi etiam inest hoc, ut
 quid non detur vel non fiat, gloss. & *Dd. in l. stipulationum 2. in*
pr. verb. dando D. de Verb. Obl. Wesemb. in Parat. D. de pact. n. 2.
 Covarruv. *in c. quamvis 2. de pact. in 6. p. 1. relect. pr. n. 1.* cum fa-
 cti appellatione veniat etiam non factum. *S. si uxor tua. in fin.*
Inst. de Nupt. ibi, facturos si se abstinuerint. Decius *in l. id quod no-*
strum. 11. n. 2. D. de R. I. etiam in materia pœnali. Alex. *in l. ubi*
autem. 75. §. qui id, quod D. de V. Obl. Moller. *in Comment. p. 2.*
const. 41. n. 2. (c) Non enim habebit infontem DEUS, quis-
 quis nomen ejus vanè usurpaverit, *Exod. cap. 20. vers. 7. Deut.*
cap. 5. vers. 11.

IV.

Jam divisiones Juramentorum subjice-
 re de-

re debebamus: sed quia illud ad commo-
diorem locum reservare instituimus; ideò
iis præteritis ad causam efficientem *a* nos
convertimus; visuri, quinam jurare non
b possint.

(*a*) Cùm enim, ut loquitur Hermogenianus, *in l. 2. D. de
stat. homin.* hominum causa omne jus constitutum sit, primò
de statu personarum dicendum est. §. *fin. Instit. de I. N. G. & C.*
Cicero *lib. 2. de Nat. Deorum*, plenè Corras. *ad d. l. 2. n. 1. lit. A.*

(*b*) Sic enim in jure comparatum est; ut, quoties quæritur,
quid alicui liceat in jure privato, ita definiendum sit, omnia
civis licere, si legibus prohibitus non reperiatur. *arg. §. 2. Inst.
de his, qui sunt sui vel al. juris. l. 1. §. 1. D. de testib.* Donell. *lib. 6. Com-
ment. cap. 5.* Forst. *de pactis cap. 5. num. 3.* Cognitis itaque iis,
qui jurare non possunt, simul constabunt, & illi, qui possunt.

V.

Prohibentur autem quidam jurare na-
turâ, quidam lege. Naturâ prohibentur
infantes, *a* impuberes, pupilli, demen-
tes sive mente capti, fatui, furiosi *b*,
ebrii, *c* irati, *d* prodigi, *e* &c.

(*a*) *c. parvuli. c. pueri. c. honestum. 22. quest. 5. l. jusjuran-
dum. 17. §. pupillus. 1. D. de jurejur.* Deficit enim illis iudicium
l. 1. §. impuberes C. de fals. monet. l. cum Prator. 12. §. 2. D. de judic.
quod tamen individuò comes est juramentorum. *c. etsi Christus.
de jurejur. c. animadvertendum. 22. quest. 2. nec pejerare dicun-
tur etiam si jurent; cùm scientes fallere non videantur. l. qui
jurasse. 26. D. de jurejur.* Si tamen juramento fortè opus fuerit,
tutorem pro iisdem jurare convenit. *l. cum judices 2. §. quod ob-*

B

ser-

servari. 2. C. de jurejur. propt. cal. dando Tholosanus in Syntagma-
te Juris Civilis lib. 53. c. 7. n. 3. Quod tamen non procedit in his,
qui pubertati proximi sunt. l. fin. §. 2. D. de liberal. caus. c. pueris.
Extr. de delict. puer. c. parvuli. & ibi gloss. 22. quest. 5. Zasius ad l. is
cui bonis. 6. n. 14. D. de V. O. cum præsumantur doli esse capaces,
& intelligere quid agant l. impuberem. 23. D. de furtis §. in sum-
ma 18. Inst. de Obl. qua ex del. nascuntur. l. apud Celsum. 4. §. de do-
lo 26. D. de doli mali & metus except. ut merito perjurium tan-
quam delictum in eâ ætate vindicandum. d. c. 1. Extr. de delict.
pueror. Setser. de Juram. lib. 1. c. 10. n. 6. & 7. (b) Licet enim
hi apertè invicem dissent, & ll. à se invicem distinguantur. §.
furiosi. 3. §. sed & mente captis. 4. Instit. de Curator. l. 2. ibi, quasi
verè furiosus. D. de inoff. testam. l. nec mandante. 8. §. 1. ibi furore
aut dementiâ. D. de tutor. & Curat. dat. ab his, qui : nihil tamen
quoad obligationem juramenti differunt ; cum pejerare non
posse dicantur, arg. d. l. qui jurasse. 26. D. de jurejur. & consensu,
l. qui ad certum tempus. 14. D. locati. sive animo. l. 1. §. furiosus 3. D. de
acquir. possess. judicioque careant, l. cum Prætor. 12. §. 2. D. de judis.
neque ullum negotium rectè contrahant. l. in negotiis. 5. l. fu-
rioso. 40. D. de R. I. ubi Dd. communiter. Setser. de juram. d. lib. 1. c.
4. n. 5. ubi n. 12. rectè inter tempora interpositi juramenti di-
stinguit, quem vide. (c) Namque talis æquiparatur furioso.
c. luxuriosa. c. venter. dist. 35. propter inductum per ebrietatem
mentis deliquium. c. à crapula. de vita & honestat. Clericorum.
Quod tamen putamus procedere eo casu, si planè extra omnem
intellectum constituitur, omniq; prorsus ratione & judicio de-
stituitur. l. omne. 6. §. qui se vulneravit. 7. D. de re milit. l. perspici-
endum. 11. §. 2. vers. impetu. D. de pœnis, l. unic. C. si quis Imper. ma-
ledix. Si enim ebrius non omni mente alienatus, sed ejusmo-
di fit, quæ saltem sensum heberem facit, valebit juramentum.
Decius conf. 112. Simon de Prætis lib. 2. de interposit. ult. vol. fol.
4. n. 23. Setser. d. lib. 1. c. 6. n. 10. (d) Iratus enim à furioso
saltem tempore differt, ut meritò ipsius juramentum nullius
valoris esse debeat. l. alienam. 2. C. ad l. Juliam Majest. c. sicut ex
litteris. 13. Extr. de jurejur. sicuti & reliqui actus & contractus
calore

calore iracundiæ facti nec tenent, nec obligant. *Dd. in l. quicquid calore. 48. ubi Dd. D. de Reg. Jur. ita, ut nec pœnam perjurii incurrant. l. jurisjurandi. 2. C. de reb. cred. & jurejur.* Eodem scilicet modo ut supra, quatenus scilicet is adeo irâ commotus fuit, ut ab omni mente fuerit remotus. *Setser. d. l. lib. 1. c. 7. n. 2.* Si tamen remisso calore & sanitate mentis receptâ ratum habeatur, & acceptetur illud, aut aliàs, veluti ex perseverantia, appareat, iudicium animi fuisse; eo casu mentis deliberatio & animi propositum præsumitur, *arg. l. divortium. 3. D. de divort. & d. l. quicquid calore. 48. D. de R. I. l. si adulterium. 38. §. 6. D. ad l. Jul. de adult.* His licet quàm proximè accedere videantur Amantes, qui amore concitati a masis suis obrestatione quadam interdum sat arduâ fidem conjugalem promittunt, cum ubi amor, ibi furor *c. cum in juventute. 15. Extr. de præsumpt* : nihilominus, cum amor omnem intellectum non excludat, præsertim ubi deliberatio & certum propositum, quo re amatâ potiamur & perfruamur, præcedit; omninò illud iuramentum observandum esse putamus. *Setserus in d. tr. de iuramentis d. c. 8. lib. 1. n. 6. & 7.* ubi tamen rectè addit, verum hoc esse, nisi aliud prohibeat, illudq; exemplo illustrat adolescentis, qui insciis & inconsultis, parentibus fidem dat Virgini seu Viduæ, eamque iuramento confirmat. Cum enim hæc sponsalia ipso jure nulla sint, testib. *Dd. omnibus ad. pr. Inst. de Nuptiis*; iuramentum autem non confirmet actum, qui est ipso jure nullus, nec consensum supplere possit. *Bald. in l. si quis pro eo. 56. in pr. col. fin. D. de fidejuss*: ideò ejusmodi iuramenta nullâ ratione attendenda, *Dd. in c. 1. §. c. fin. Extr. de sponsa duor. Göden. consil. 93. n. 7. Beust. in tract. de jure connub. c. 48.* Secus autem est, si juvenis juvenulam cognoverit, deinde ambo accusentur de stupro, ipsi autem iuramento asseverent, se antehac invicem matrimonium contraxisse, tum enim, ut habet gloss. *sing. in l. penult. C. de fidejuss.* & ibi *Bald. & Dd.*, vi illius iuramenti actus præcedens confirmatur, & accusatio instituta impeditur. *Everh. à Middelb. loc. 130. à Juram. vi. energ. & effic. n. 71.* (e) Licet enim hi videantur adhuc mentis suæ compotes esse ex sermonibus:

B 2

tamen

tamen, cum neque tempus neque finem expensarum habeant, sed bona sua dilacerando & dissipando profundant. *l. 1. proæm. D. de Curat. furioso vel aliis dand. non multum quoad usum rationis à furiosis distant. l. furiosi. 40. D. de R. I. ut merito propter tale vitium præsumantur carere sensu atque intellectu. Gomez. tom. 2. Var. Resol. c. 14. n. 30. Unde & hinc inde furiosis comparantur, l. hi qui 12. §. non est novum. 2. D. de tutorib. vel Curator. datis ab his, qui. d. l. 1. in pr. D. de curat. furiosi. l. is cui 6. D. de V. O. l. is cui. 18. D. qui testam. fac. possunt, & ne quidem naturaliter obligantur. d. l. is cui. 6. ubi Bartol. Bald. Jason. Cujacius & alii. D. de V. O. l. certi. 9. §. sed etsi ei. 7. D. de reb. cred. Gœdæus, de contrab. stipulat. c. 7. concl. 19. n. 126. & seqq: Quamvis autem olim prodigis ipso jure ex L. L. 12. Tabb. interdiceretur bonorum administratione, & in curâ agnatorum esse jubebantur: hodiè tamen Prætor, sive Magistratus prodigis bonis interdicit, eisq; Curatores constituit. d. l. 1. l. Julianus. 10. l. si furioso. 16. D. de Curat. furiosi. §. item prodigus. 2. Instit. Quib. non est permis. facere testam. Nemini enim absque causæ cognitione rerum suarum administratio auferenda. l. 2. D. de his qui sunt sui vel al. juris. §. fin. Instit. eod. siquidem, ut ait Comicus:*

Duo cum faciunt idem, non est idem,

Non quòd non eadem sit res, sed alius qui facit.

Zafius ad d. l. is cui. 6. n. 15. & 16. ibiq; Cujac. Viglius, ad d. §. 2. Inst. quib. non tst permissum fac. testam. n. 3. Gœddeus, d. c. 7. conclus. 10. n. 141. & seqq. qui etiam extendunt illud ad eum casum, quando quis reverâ prodigus non erat, ut qui non perpetuo sed uno atque altero actu bona sua dilapidare videbatur, idq; propter publicam decreti auctoritatem. arg. l. penult. ibi Prætor. ubi Dd. de Justit. & jure, ubi Corras. lit. F.

VI.

Minorum autem sive puberum *a* sacramenta spontè *b* facta, super contractibus

Etibus rerum suarum non retractandis in-
violabiliter custodienda esse putamus, c
ita, ut nec restitutione in integrum d ju-
ventur.

(a) *Auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vendit. ubi Dd.*
(b) h. e. tum liberâ voluntate, tum etiam certâ sententiâ.
Hillig. in Donell. lib. 21. Comm. c. 13. lit. H. Per vim enim vel ju-
stum metum extorta nullius momenti sunt. *Donell. lib. 21.*
comm. c. 13. (c) Quod de validis nullum habet dubium:
De invalidis verò non immeritò ambigitur; cùm alii dicantur
invalidi, quia sunt contra bonos mores: & hi nullo jurejuran-
do confirmari possunt. *c. non est obligatorium. de Reg. Jur. in 6.*
Sichard. add. Auth. Sacramenta puberum. n. 11. Alii eapropter
ita appellantur ratione publicæ utilitatis, qui similiter jura-
mentum non admittunt; cùm privatorum pactionibus juri pu-
blico non derogetur. *l. nec ex pratorio. 27. D. de R. I. l. juris gentiũ.*
7. S. 14. D. de pactis, ubi Dd. Sichard. d. loc. Deniq; dicuntur contra-
ctus invalidi ratione publicæ utilitatis secundariò, principaliter
a. ratione ejus, cujus gratiâ inventum est, ut sit contractus nullus;
quo casu contravenire facilè non licet. *d. Auth. Sacramenta l. 1. C.*
eod. cùm omne juramentum præstari debeat, quod servari potest
sine periculo animæ & salutis æternæ: c. quamvis. de pactis in 6. c.
si verò c. cùm contingat. Extr. de jurej. de quo infra dicitur. (d) *d. l. 1.*
Auth. Sacramenta. Jusjurandum enim facit ex minore majorem,
ut tradit *Jason. in d. Auth. Sacramenta. n. 55.* *Bald. in l. jusjurandum. n.*
346. D. de jurejur. Cothman. resp. 18. n. 158. *Setser. d. tr. lib. 1. c. 11. n. 4.* &
ita ex consequenti tollit ei beneficiũ restitutionis in integrum,
facitq; de actu, qui rescissioni subjacebat, actũ inexpugnabilem,
Everh. à Midd. l. 130. n. 2. à. Jur. vi. en. & effie. Quod tn. limitandum
est, si graviter & enormiter sit læs; siquidẽ hoc casu dolus sub-
esse præsumitur, *arg. l. si superflite. C. de dolo malo l. si quis cum aliter.*
36. D. de V. O. quo interveniente juramentũ nec à majore servan-
dũ, *d. Auth. Sacramenta d. c. cùm contingat. Extr. de jurejur. c. quam-*
vis. de Pactis, in 6. cùm nõ debeat esse vinculũ iniquitatis, ut alibi

Idem dicitur. Schurff. *conf.* 17. n. 2. *Cent.* 2. *Wesemb.* *conf.* 23. n. 47.
Myns. *respons.* 56. n. 13. *Decad.* 6. *Cent.* 5. *obs.* 59. *per tot.*

VII.

Idem iudicium esto de fœminis, cum non minus ex aliis *a* quoq; conventionibus & contractibus ut regulariter obligentur; ita, ut si contra iuramentum veniant, *b* pœnam l. si quis major 41. C. de Transact. non evitent, nec beneficio SC. Vellejani uti *c* possint.

(a) *Wesemb. in Parat. D. ad SC. Vellejan. n. 2.* (b) Nec enim inter masculos & fœminas facilè differentia aliqua est introducenda. *l. maximum. 4. C. de lib. præter. Auth. in successionem. C. de suis & legit. l. mater. 4. D. ad SC. Tertull. Decius, in l. 2. n. 91. D. de Reg. jur. maximè hoc casu, quo dispositio eò spectet, ut homines ad observantiam jurisjurandi rei tam religiosissimæ compellantur, & contra facientes puniat; & masculinum semper includat fœmininum, etiam in pœnalibus. l. qui domum. 8. junct. l. mater. 10. §. 1. D. ad L. Jul. de adult. Göddæus, ad l. 1. n. 53. D. de V. S. Setser. d. tract. l. 1. c. 12. n. 14. (c) *c. cum contingat. Extr. de jurejur. Facit l. fin. §. fin. D. ad SC. Vellejan. Auth. matri & avia. C. quando mulier tut. officio fungi possit; cum quilibet favori pro se introducto renunciare possit. l. penult. C. de pactis. Tiraquell. in L. L. connub. gl. 7. verbo. expressè. n. 152. Beust. in l. 1. n. 248. D. de jurejur. Hartm. Hartm. tit. 29. de fidejussorib. obs. 3. Zanger. de Except. p. 3. c. 9. n. 42. Fachin lib. 2. controvers. c. 60. Nisi similiter constet, quòd sint enormissimè læsæ, ex quo dolus præsumitur, ut præcedenti thesi dictum. Decius, *conf.* 187. n. 7 & *conf.* 181. n. 1. §. 2. Gail. lib. 2. *observ. Pract.* 77. n. 12. Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 59. Val. Franc. de Fidejuss. c. 2. n. 208. Zanger. de Except. p. 3. c. 11. n. 165. jure Provinciali non æquè. Novell. Const. Aug. 35. p. 2. *Wesemb. consil.* 23. n. 47. lib. 1. Moller. lib. 3. *semest. c.* 39. Rauchbar. p. 1. *quest.* 14. n. 80. nisi circumstantiæ aliud suadeant. Moller. ad d. *const.* 35. n. 9.**

8. Non

Non minus de Filiofamilias, & excepto
b mutuo, quod SC. Macedonianum impe-
 dit, ita ut ne quidem filiusfamilias ei jura-
 mento *c* renunciare possit.

(a) *l. filiusfamilias. 39. D. de Oblig. & Act. l. fin. §. 1. D. de V. Obl. excepto peculio castrensi vel quasi, in quibus vice patrumfamilias fungitur. l. 2. D. de SC. Maced.* (b) *t. t. D. & C. ad SC. Maced.* (c) *arg. l. fin. C. de non numer. pec.* Est enim contra bonos mores, & occasionem præbet peccandi & delinquendi. *c. non est obligatorium, de Reg. Jur. in 6. Panorm. in c. cum contingat de jurejur. n. 22.*

De surdo quoq; & muto non abs ratio-
 ne dubitari potest, an juramentum rectè
 præstare possint? quâ in quæstione affir-
 mantium *a* partes sequimur.

(a) Juramentum enim præstatur Deo, qui hominum men-
 tes & corda norit, licet non loquantur. *c. si quid invenisti. 14. quest. 5. c. erubescant. 32. dist. adeoq; non opus fit, ut ad juramen-
 tum verba adhibeantur. Cyn. & Dd. in Auth. Sacramenta. C. si
 advers. vendit. Covarruv. in rubr. de Pactis, in pr. n. 5. & seqq. Alciat.
 in rubr. de jurejur. n. 21. Fachin. lib. 3. controv. c. 8. Borcholt. de jure-
 jur. c. 1. n. 27. & seqq. Setser. d. loc. c. 9. n. 6. sed nutus sufficiat, scri-
 ptura, aut aliud aliquod signum externum, quemadmodum
 obtinet quoque in mendacio, quod, licet (secundum Augusti-
 num) definiatur falsa significatio Vocis cum intentione fallen-
 di, sub c. Beatus Paulus 5. 22. q. 2. tamen omni signo, seu nutus ille
 sit, seu scriptura, seu factum, seu vox & sermo deniq; commit-
 titur, ita, ut per Vocem omnia hæc intelligantur, docente. V. Cl.
 Conrado Horneio, Professore in Acad. Juliâ, Præceptore meo æter-
 num.*

nūm suspiciendo, in *Ethicā, lib. 3. cap. 10. de Veritate & Urbanitate* pag. 421. Adde Hilliger. in *not. ad Donell. lib. 24. Comment. c. 13. lit. B.* Sicuti & testificari possunt, dummodò sciant scribere. Zanger. *de Except. p. 2. c. 3. n. 21.* Gail. *lib. 1. observ. 100. in A.*

X.

Judæos quoq; *a* & Turcas per leges suas & religionem, *b* fidem *c* & contractus, quos vel inter seipfos, vel cum Christianis celebrant, juramento confirmare, & ad observantiam juramenti legitimè compelli posse *d* statuimus.

(*a*) Quia eadem ratio hîc militat, quæ attenditur in juramentis Christianorum, nempe jurare hi coguntur, ut major fides ipsorum dictis adhibeatur, cujus gratiâ juramenta inventa sunt. *c. si peccatum. 22. quæst. 1. & c. etsi Christus. & c. Ego Episcopus. in princip. de jurejur.* Ubi autem eadem ratio est, ibi idem jus esse debet. *l. illud 32. D. ad l. Aquil. & passim Dd.* Ut ergò Judæo, Turcis, aliisq; infidelibus securius credatur, quidni juramentum ab iis exigi possit; & cum à communibus Juris Romani & Canonici regulis non expressè sint exempti, cur liceat ipsis impunè fidem fallere, & melioris, quàm Christiani sunt, esse conditionis? Corneus, *consilio 19. column. 4. volum. 3.* Seraph. *tr. de Juram. privil. 123. n. 5. & 6. Setser. eod. lib. 2. cap. 18. n. 1.* Marant. *in spec. aureo, p. 3. n. 55. 56. & seqq.* (*b*) Quæ licet falsa sit & erronea: tamen formam dat Juramento, cujus vigore jurans efficacius voluit obligari, prout eleganter Seraphinus *d. loco*, ubi distinctè docet, quod si scienter juratum sit per falsos Deos, juramentum non obliget; secus verò si ignoranter, putando se jurare per vera Numina; quia tunc obligat. Id quod latius persequitur Covarruv. *in c. quamvis. de pactis in 6. in 3. part. s. quartus. in princip.* Quâ formulâ autem jurandi Judæi obstringendi sint, videatur Mynsing. *cent. 6. obs. 20.* Wurmser. *in pract. cbs.*

obs. lib. 1. t. 24. de jurament. obs. 6. Beust. ad l. admonendi. in rubr. n. 219.
 Ordinatio Cæsarea Camerae Imperialis part. 1. t. 1. 86. Ordnung
 vnd Form des Jüden Eides. (c) Quæ habetur quoque Judæo-
 rum dictis, ut colligitur ex gloss. in c. movet. in ver. Laban. 22.
 quæst. 1. de jurejur. Unde etiam testis esse potest Judæus contra
 Christianum in causa hæresis, ut in cap. contra Christianos, de Hære-
 tics in 6. Item in testamento & in contractibus inter vivos, ut
 per Bald. in l. cunctos populos. C. de summ. Trin. & fide Cathol. Quod ta-
 men ab Imolâ limitatur, quando res aliter probari non potest;
 Item & quando non sunt examinati pro Christiano alii testes
 in contrarium, qui sint idonei & honesti. Seraph. d. loco. (d) Fa-
 vore religionis jurisjurandi, ad quam non solum fideles, sed
 etiam infideles adstringebantur, ut patet in l. qui jurasse 26. & t. t. D.
 de jurejurand. Ruin. Cons. 204. col. 4. in princ. vol. 7. Dec. in l. pactum 3.
 column. 4. in fine & seqq. C. de Collation. Et licet ejusmodi juramen-
 tum à Judæo, aut alio quopiam infideli præstitum, ab Ecclesia
 quoad animam jurantis non attendatur: tamen quia formam,
 uti supra dictum est, juramenti habet; ideò perjurium quoq;
 & alias pœnas incurreret, qui illud fregerit, non minùs ac Chri-
 stianus. Socin. Cons. 66. col. antepen. vers. primus quidem vol. 1. l. si quis
 major. C. de Transact. Seraph. privil. 67. n. 39. & 40. & privil. 123. n. 6.
 Juramentum enim est de jure divino, ad quod Judæi quoque
 obstringuntur, præsertim si juraverint. c. movet & ibi gloss. in ver.
 sociat. 22. quæst. 1. Innoc. in c. etsi Christus. & ibi Abb. de jurejur. Tiraq.
 de jure primogen. quæst. 66. num. 27. & Ant. de Gab. in tit. de donat.
 conclus. 3. n. 26. Corneus, cons. 45. col. 3. vers. nam ex quo dicti: in lit. C. va-
 lum. 1. & cons. 267. in fin. vol. 4. Unde & Christianus per Machometū
 jurans juramentum servare tenetur, æquè ac Judæus vel infide-
 lis jurans per CHRISTUM, de quo vid. Everh. à Middelb. loc.
 130. à juram. vi, energ. & effic. sub effectu 28.

XI.

Materiam quod attinet, de omnibus
 & rebus sive sint mobiles, sive immobiles,

C

juris-

jurisjurandi religio interponi potest; modo non aliquæ *b* expressè reperiantur prohibitæ.

(*a*) De quibus nempè aliàs obligatio constitui solet & potest. (*b*) Omnia namque præsumuntur licita, quæ de jure prohibita non reperiuntur. *l. nec non. 28. §. quod ejus. 2. D. ex quib. caus. majores l. magistratus. 25. D. ad municip. Forster. de Pact. cap. 6. n. 4.*

XII.

Causæ enim dignitas requirit, ut res, de quâ juratur, sit certa *a* majoris momenti *b*, honesta *c* & licita: non bonis moribus *d* contraria, exemplo perniciofa, vel si contra Rempublicam *e* faciat.

(*a*) Temeritatis enim est, de incertis & incognitis jurare; cum, ubi veritas locum non habet, ibi nec juramentum locum habere poterit. *Setser. de Juram. d. lib. 1. c. 17. n. 4.* (*b*) *c. etsi Christus. 26. ferè circa fin. ibi, quoniam ex frequenti & incautâ juratione perjurium sæpè contingit. Extr. de jurejur. prout graviter monet Ecclesiast. c. 23. vers. 7. & seqq. & cap. 27. vers. 15.* (*c*) Juramentum enim non debet esse vinculum iniquitatis, ut infra dicetur. (*d*) *c. quanto. Extr. de jurejur. c. unusquisq. 22. quest. 4. ubi Canon. Panorm. in d. c. cum contingat. n. 5. & 22. adeo, ut nec absolutionem requirant, & sine metu perjurii licitè contemni possint. Gail. lib. 1. de pace publ. cap. 4. n. 16. Setser. d. c. 17. ubi refert exempla n. 8. cum seqq.* (*e*) *Jafon in d. Auth. sacramenta. n. 52. C. si advers. vendit. Roman. sing. 507. n. 1. Grammat. decis. 12. n. 1. Unde, si quis juret non revelare secreta alterius, nihilominus tenetur veritatem dicere, si in testem producatur. Dd. in c. constitutus el. 1. ubi gl. verbo. non teneri. de testib. Gail. lib. 1. Obs. 100. n. 3. & 4. ubi Grevaus confid. 1. König in Proceß. c. 82. Ruland. de commiss. Cam. p. 2. lib. 2. c. 7.*

13. Sic

XIII.

Sic quoque requiritur, ut res, super quâ quis jurat, sit in ejus potestate *a*. Si igitur quis factum alienum jurejurando promiserit, licet perjurium non *b* incurrat, modo omnibus nervis intenderit, ut fieret, *c* juramento absolvitur: si tamen poena promissa fuerit, vel quanti interest, non *d* liberatur.

(*a*) Potestas enim excepta intelligitur. *l. verum est. 31. l. impossibile 185 l. ea, que dari 135. D. de R. I. ubi Dd.* (*b*) Covarruv. ad rubr. *c. quamvis. de pactis, in 6. p. 2. §. 5. Gomez. lib. 2. Variar. Resol. c. 10. n. 23. verb. Que tamen omnia;* Impossibilitas namque & difficultas, quæ nullâ diligentiam evitari potuit, à perjurio excusant. *l. cum quidam. 17. §. si pupillo. 3. D. de Usuris. c. brevi. Extr. de jurejur. Zasius in S. item si quis postulante. n. 22. Inst. de Actionib. Honded. conf. 18. n. 29. & 51. p. 1. Beust. in l. 1. n. 20. D. de jurejur. Hering. in tr. de Fidejuss. cap. 19. n. 113.*

(*c*) Jurans enim super facto alieno semper videtur obligari eo modo, quo potest; & per consequens perinde est, ac si promississet, se facturum & curaturum, ut alius faciat: quo casu promissio alteri facta valet; Ludovic. de Rom. & Alexand. ab Imol. in *l. stipulatio ista. D. de Verb. obl. Panorm. in c. ex rescripto. in fine, de jurejur. ubi gloss. Everh. à Middelb. loc. 130. à juram. vi. energ. & effic.* (*d*) Imputabit enim sibi, quòd temerè difficultati ejusmodi se exposuit, quam evitare haud fuit in proclivi. Gôddæus, *de cont. stip. c. 6. n. 203. & 205. Serfer. d. loc. n. fin.*

XIV.

Et conclusivè, ad hoc, ut juramentum valeat, requiruntur tres *a* comites: Veritas, *b* Judicium *c* & Justitia *d*; quorum u-

no deficiente, juramētum nullius erit mo-
menti.

(a) Jerem. cap. 4. vers. 2. c. etsi Christus. 26. Extr. de jurejur. c. quanto. eod. c. animadvertendum. 22. quest. 2. ubi Dd. Beust. in rubr. de jurejur. n. 7. text. & gloss. in Auth. quod eis. C. de Nupt. (b) sc. consci-
entia, ut quis sciat, se verum jurare, Seraph. privil. 71. n. 34. 35. 36.
(c) discretionis & deliberationis. c. parvuli. 22. quest. 5. ut quis
sit ejus consilii & judicii, ut intelligat vim juramenti. (d) pu-
ta, ut, quod juratur, sit justum & licitum, gl. in d. c. animadverten-
dum. 22. q. 2. & c. etsi Christus. Extr. de jurejur. cum similib. (e) dd.
cc. Mynsing. cons. 28. n. 217. Tholosan. in Syntagm. Juris, lib. 50. c. 3. n. 7.
Fachin. lib. 2. Controv. c. 64. Setser. d. lib. 1. c. 18. de comit. jurament. n. 2.

XV.

Unde facile cernere est, quòd Juramen-
tum vi *a* metuve extortum, & dolo *b* vel
errore *c* præstitum, planè sit invalidum.

(a) Auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vend. ut supra di-
ctum; maximè si interpositum fuerit de re illicita & legibus
improbata, usque adeò, ut in eo casu non sit opus absolutione.
c. si verò. 8. c. verum 15. cum contingat. 28. de jurejur. in fin. ubi Panorm. n. 5.
& 22. c. in malis. 22. quest. 4. Gail. lib. 2. obs. pract. c. 42. n. 4. cum unicum
juramentum non possit supplere duos defectus. Decius, cons.
249. n. 3. Bellon. Consil. 4. n. 4. Seraph. de Seraph. privil. 110. n. 8. Si
verò juratum sit super facto nullo jure prohibito, juramentum
quidem obligabit. c. verum. Extr. de jurejur. cum etiam coacta vo-
luntas sit voluntas. l. si mulier. 21. §. si metu. 5. l. item si. 14. §. qui vim in-
tulit D. quod metus causa l. interpositas. C. de Transact. gloss. in c. Abbas. & c.
ad audientiam. Extr. quod metus causa. Canonist. in c. si verò. Extr. de
jurejur. Covarruv. in d. c. quamvis. relect. 3. p. 2. §. 4. n. 2. vers. 22. constat.
sed ei gratia quædam fieri debet. d. c. verum. c. alius. c. nos sanctorum.
& auctoritatem. c. juratos. 15. quest. 6. uti & aliàs, quod metu gestum est,
edicto Prætoris rescinditur, l. i. d. t. D. & C. quod metus causa. Qualis
autem metus requiratur, tradit Zonnett. lib. 1. rerum cotid. c. 44.
Gail.

Gail. lib. 2. Obs. c. 93. n. 7. Plot. in tr. de in litem jurando. §. 3. n. 13. & seqq.
 Unde juramentum latroni præstitum pro vitâ redimendâ ac ca-
 pite servandum non est. d. c. cum contingat. c. non est obligatorium. de
 R. I. in 6. Bodin. lib. 1. de Repub. c. 1. Donell. lib. 27. Comment. c. 13. in fine.
 Anton. Faber, Decad. 39. Err. Pragm. 3. Setfer. d. lib. 1. c. 20. n. 4. multo
 min9 silentium promissum de injuria sibi illata, propter pericu-
 lum, quod & in alios & in Rempub. ex eo redundat. Setfer. d. loc.
 n. 14. similiter juramentum ejus, qui injustè est carceratus, nul-
 lius est momenti. l. qui in carcerem. D. Quod metus caus. Nevizan.
 Conf. 22. n. 39. Boër. decis. 100. n. 14. (b) Cum enim dolus vel
 fraus intercedit, tum quis decipitur potius, quam paciscitur.
 Qui verò decipitur, is omninò non consentit. l. 9. §. 2. D. de Trans-
 act. quia quid agatur, ignorat & errat, ut patet ex casu in l. Tres
 fratres 35. D. de Pactis proposito. Dolus ergò justiore causam
 importat, quam metus; quia ex metu aliquid juramento pro-
 mittens aut asseverans, in id, quod jurat, consentit, etsi coactus.
 Donell. d. lib. 21. Comm. c. 13. Tiraq. in l. si unquam. 8. in præfat. n. 158. C.
 de revocand. donat. etiam corporaliter præstito. Jason. n. 29. Faber.
 n. 3. & Dd. in d. Auth. sacramenta. C. si advers. vendit. Wesemb. p. 2. Conf.
 52. n. 78. Hinc semper juramentum intelligitur tacitam hanc ha-
 bere conditionem, si dolus malus absit, latè Imola in c. Quinta-
 vallis. n. 45. de jurejur. per l. creditor. 60. §. penult. D. Mandati. Wesemb.
 p. 1. conf. 23. n. 4. & seq. Moller. ad const. Elect. 35. p. 2. n. 2. (c) c. quanto.
 18. eod. t. c. homines. c. fin. 22. quest. 2. Wesemb. in Par. de jurejurado. n. 14.
 Error enim non habet consensum. l. si per errorem. 15. D. de jurisdic.
 omn. jud. l. 2. D. de judic. Dd. dd. locis.

XVI.

Formam quod spectat, illa semper cer-
 ta quidem, sed non apud omnes a eadem
 fuit. Nos omissis tum aliis tum antiquo-
 rum jurandi modis & formulis, b, credim9
 hodiè per nomen solius DEI c in Christia-
 nâ Republicâ jurandum esse.

C 3

De

(a) De quo videatur Beust. in l. 3. §. jurari. D. de jurejur. Wefemb. in parat. D. eod. n. 6. Setser. d. lib. 1. c. 15. n. 1. cum seqq. (b) Quas boni scriptores Cicero, Livius, Plautus, Gellius 4. noct. Att. cap. 20. & Briffonius libr. 8. Formul. pag. mihi 707. usq; ad pag. 717. ut & alii quam plurimi copiosissimè adnotatas passim nobis reliquerunt. (c) Idq; secundum præceptum divinum, in nomine DEI tui jurabis. Exod. c. 22. v. 11. Josua c. 9. v. 18. & 20. Deut. c. 6. v. 13. c. 10. v. 20. Matth. c. 5. v. 33. Gen. 21. v. 23. Soli enim Deo cum præstetur, & sit invocatio, quæ soli DEO καὶ θεῷ ὡς ἑὸν debeat, sit, ut per ejus quoque solius nomen juretur. Wefemb. d. loc. n. 6. Quamvis itaque Jure Camerali & notissimâ Germaniæ consuetudine vulgata illa promissio sive interpositio fidei bey Fürstlichen / Gräfflichen / Adelichen Ehren / Treuen vnd Glauben juramento æquiparetur & pro eo habeatur. Dd. comm. ad c. ad aures. Extr. de his, quæ vi metusvè causâ. c. ex rescripto 9. Extr. h. tit. Jason. in §. item si quis. n. 52. Just. de Action. Gail. lib. 2. Obs. c. 59. n. 1. Mynsing. 1. obs. 17. Beust. ad l. 3. §. ult. h. tit. Coler. de process. Execut. p. 1. c. 10. n. 2. : tamen, cum idem non sit, quod ponitur pro eodem. gl. in l. mercus. 207. D. de V. S. Batt. l. quod Nerva. D. depositi : Everh. in Topic. à loco, vi surrog. in fine ; & per æquipollens juramentum non impleatur, arg. l. 33. D. de jurejur. ; tum etiam deficiat essentielle requisitum juramenti, nempe, Numinis divini religiosa invocatio : ideò formula ejusmodi pro vero juramento non erit reputanda. c. commissum. de sponsal. Faber. in d. §. item si quis. n. 15. Covarruv. in d. c. quamvis. §. 2. n. 3. p. prælect. in 6. Wefemb. d. n. 6. & n. 14. b. t. nec contraveniens perjurii pœnam incidere dicendus, Hilliger. in Donell. lib. 24. cap. 13. lit. A. de jurejur. Licet haud invitè largiamur, quòd ejusmodi sub fide facta promissio æquè sit servanda ac juramentum. Andr. Scheffer. p. 2. quest. pract. 3. n. 193. Principum enim & Nobilium promissa pro factis haberi, nec verba eorum unquam irrita esse debent. Tiraquell. de Nobil. c. 20. n. 23. & seqq. Præcipuè autem Principem decet fidei stabilitas, ut omne ejus verbum instar juratæ alterius promissionis haberi conveniat. Hipp. à Collib. in Principe c. 10. Hillig. in Donell. d. loc. Jurant autem hodiè Mares coram judice erectis duobus

bus digitis prioribus manus dexteræ: Mulieres applicatis iisdem sinistro pectore, ex veteri Alemannorum consuetudine, de qua vide Petrum Greg. Tholosanum *lib. 50. syntagm. cap. 8. n. 30.* Plura quoque de hoc ritu extant apud Setser. *d. lib. 1. c. 15. n. 13. & seqq.* quâ in re videnda & attendenda est uniuscujusque loci consuetudo; modò juri divino non sit contraria, Wesemb. *in parat. D. de jurejur. n. 6. post. Jason. in l. fin. n. 2. D. Qui satisd. cogant.* Gentilium aliquos ritus & ceremonias, quas in juramentis varias adhibuerunt, annotavit Alexander ab Alexand. *lib. 5. Genial. dier. cap. 10.* quem omninò vide; Uti & Gellium *lib. 1. cap. 21. & lib. 4. c. ult.* Livium *lib. 1. Decad. 3. & lib. 7. Decad. 1.* Valer. Maxim. *lib. 9. cap. 3.* Macrobi. *lib. 3. cap. 2.* Festum Pompeium *lib. 10.* Cicero-nem *in Acad. & lib. 3. offic. & Virg. 12. Æneid.*

XVII.

Finis Juramentorum est, ut Veritas *a* eliciatur & patefiat, & quod consequens est, lites expediantur *b* & eò citiùs finiantur, sublata^â probationum inopiâ, difficultate & *c* morâ.

(*a*) Cùm enim in moribus hominum hoc lateat vitium, ut multoties in dictis & factis non tam soleant, quàm sæpenu-merò ex innatâ quadam malitiâ peccare gestiunt, nec veritati suus ubique honos relinquatur: ideò Jure tam humano quàm divino veneranda juramenti religio introducta, & levitati hominum velut repagulum quoddam præstituta est, quo median-te adigerentur, ut veritatem dicerent, & hoc pacto controversiæ eò citius finem sortirentur. Vid. Philipp. Mel. *in tract. Eth. de juram. in princip.* Patet ergò hinc, quòd, sicuti ex malis moribus bonæ leges, ita & juramenta nata sint; quam ob causam ὄρκιον sive jusjurandum ex Eride seu contèntione natum esse fingit Hesiodus in suâ Theogoniâ. (*b*) Juramenta enim litium expediendarum maximum dicuntur remedium, *suprà th. 1. l. 1. ff. h. t.*

f.h.t. & alibi passim. Unde ab Apost. Paulo ad Hebr. c. 6. v. 16. *πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν* definitur, hoc est, finis
omnis controversiæ ad confirmationem & certitudinem, dabey
es feste bleibet/ ut vertit Lutherus. Sic quoque Rhadamantus o-
lim lites jurejurando finivisse dicitur apud Platon. *dial. 11. de*
legib. (c) *l. tutor. in pr. 35. ff. h.t.l. 3. 11. 12. & ult. C. h.t. Donat. in*
Hec. Terent. Act. 4. Sc. 4. Eugrap. in Andr. Ter. Act. 4. Sc. 2.

XIX.

Effectus Juramentorum uti varius est
a: ita apprimè nobilis est & notabilis. Præ-
cipuus tamen & generalis est, quòd juran-
tes obliget, ut quod promiserint, præstare
b teneantur; modò servari possit absque
periculo *c* animæ & salutis æternæ.

(a) De quo videatur Seraphinus in tractatu de Juramen-
tis, in quo 174. notabiles effectus, quos Privilegiorum insigni-
vit nomine, adducit & mirâ dexteritate tractat, item Serferus
eod. tr. lib. 1. cap. 25. ubi ordine enarrat 30. varios effectus & vires
jurisjurandi. Ut & Everh. à Middelb. *in Top. loc. à Juram. vi energ.*
& effic. ubi 53. juramentorum effectus recenset. (b) Deo
enim votum factum omninò reddendum est. *l. 2. C. de reb. cred.*
d. c. etsi Christus. Extr. de jurejur. Cagnol. in l. si quis major. 41. n. 6. & 14.
C. de Transact. Wesemb. p. 1. conf. 23. n. 22. & in Parat. D. de jurejur. n. 13.
(c) *c. cum contingat. Extr. de jurejur. c. quamvis de pactis in 6. Wesemb.*
d. loc. num. 5. ubi fortè non abs re quæritur, Utrum debitor, qui
juravit se soluturum, objicere compensationem possit? id quod
æquitatis intuitu affirmamus, *arg. l. si debitor, 4. ibi, solverit an pen-*
saverit. D. Qui potior. in pign. habent. l. dedisse 76. D. de V. S. l. si se non ob-
tulit 4. §. solvisse 7. D. de re judic. Bart. in l. amplius. 15. D. rem ratam
haberi. Panormit. in c. ad nostram. Extr. de jurejur. Covarruv.
in d. c. quamvis. de Pactis, in 6. p. 2. §. 4. n. 9. Fachinæus lib. 1. controv. c. 7.
Moller. in comment. ad Const. Elect. 8. p. 1. n. fin. Sicuti & credimus,
effe-

effectum juramenti promissorii quoad producendam actionem, majorem non esse de Jure civili, quam nudi pacti, cum juramentum pro pactione sit, *l. tutor. 35. l. si. D. de jurejur. Dd. in l. Si quis pro eo. 56. D. de fidejuss. & mandat. Jason. in Auth. Sacramenta n. 7. C. si advers. vendit. Cagnol. & alii in d.l. si quis major. 41. C. de Transact. Covarruv. in d. e. quamvis in relect. 1. p. 5. 2. Borcholt. de jurejur. c. 8. n. 31.*

XX.

Cum verò Juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis *a* ideò si vel metu exortum, aut temerariè præstitum, vel cum promittentis pernicie conjunctum est, ab-
solutione *b* remittitur.

(*a*) Ut supra satis dictum: Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur, *c. in malis. 22. quest. 4. l. Quintus Mutius. 7. §. fin. in fin. D. de annuis legat.* (*b*) *c. verum. 15. de jurejur. c. ad aures. & ibi gloss. de eo quod metus causa. Idq; vel ab Ecclesiastico. c. fin. de foro compet. in 6. vel à seculari magistratu. l. fin. D. ad municip. l. adigere §. fin. ubi gloss. D. de jure patron. l. final. D. qui satisd. cog. Guido Papæ, decis. 178. n. 3. & decis. 194. per tot. Mynsing. Cent. 3. Obs. 99. n. 2. Setser. d. tr. lib. 1. c. 24. n. 10. Licet enim sacer ille sermo juramenta servari seridò velit: tamen quando illicita prorsus sunt & improba, atq; ita divinæ voluntati contraria, absolutio debet admitti. Wefemb. in part. n. 14. in fine h. t. Quid verò in hisce terris observetur, patet ex constit. Elect. 36. pag. 2. ubi Dan. Moller. n. 2. & 3.*

XXI.

Cæterum, omne juramentum ita debet esse comparatum, *a* ut intentioni & voluntati ejus, qui jurat, & cui juratur, respondeat: debet intelligi simpliciter *b* & secundum

D

com-

communem sensum, restringi ad naturam
c rei, super quâ interponitur, ad actus lici-
tos d non illicitos, nec ad ignorata vel in-
cogitata e, nec ad impossibilia. f Tempus
g quoq; & conditio h iuramentum conco-
mitans attenditur. Deniq; iuramenta stri-
cti juris i sunt, ideoq; non facilè exten-
denda sunt ad ea, de quibus in promissione
nulla facta fuit mentio.

(a) Cùm enim id actum intelligatur, quod verbis nomina-
tim expressum est; verba autem hominis consensu & volun-
tatem declarent: idcirco ita formandum erit iuramentum, ut
neutrius menti ac intentioni sit contrarium. *Setier. lib. i. cap. 26.
n. 3. 4. & seqq.* (b) Secundum proprium intellectum, quæ
verba præ se ferunt & ipsâ significatione ostendunt. *c. ex literis.
de sponsalib. l. librorum. § 2. §. quod tamen Cassius 4. D. de legat 3.*
(c) non accidentalem, sed ipsi actui à primordio convenien-
tem. *Covarruv. in d. c. quamvis. § 4. part. i. relect. de pact. in 6.* Un-
de iuramentum omnes, quæ principali insunt aut adherent cõ-
tractui, limitationes & conditiones recipere subaudiendum.
*Dd. comm. in c. quemadmodum. de iurejur. per text. l. fin. C. de non
num. pec.* (d) Sic mandatum habens cum liberâ, non in-
telligitur habere mandatum, ut faciat quoq; illicitum aut sol-
vat indebitum. *gl. in c. dilectus de præbend. vid. plura exempla
apud Setierum d. loc. n. 27. cum seqq.* (e) neq; ad casus po-
stea obvenientes, sed solummodo ad ea, quæ fuerunt de mente
jurantis. *c. quemadmodum. de iurejur.* (f) de jure vel de
facto *l. impossibile. D. de R. I. vide supra thesin. 13.* (g) h. e.
conditio ista, quam præsens tempus includit, scilicet: Rebus
sic stantibus, & in eodem, quo nunc sunt, statu permanentibus.
*Dd. comm. in l. fin. D. qui satisd. cogant. & in d. c. quemadmodum.
gloss.*

gloss. ibid. in verbo Conditio. (b) Nam juramentum conditionale non obligat, si altera pars conditionem juramenti non servet. *Setser. d. loc. n. 71.* Æquum enim est, ut juxta tritum versiculum

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

(i) quod tamen accipiendum est de extensione juramenti ad ea, quæ à priori obligatione sunt diversa. *c. penult. de jurejur. Setser. d. loc. n. 66. & 67. cum seqq.*

XXII.

Deniq; cum juramenti religio ex ignorantia, dolo, temeritate aut malitia nunquam violetur: ideò annectemus generalia quædam de Perjurio ejusq; pœnâ. Est autem Perjurium *a* mendacium *b* juramento firmatum, in quod toties quis incidit, quoties sciens & volens, *c* contra proprium venit juramentum, & tum, quia dolus intervenit, pœnæ *d* perjurii locus est.

(a) Bald. *in l. fin. & ibi Dd. C. de jurejur.* (b) *cujus 8. constituit species cap. primum est 22. q. 2.* (c) quæ recepta est & communis omnium Dd. *sententia Setser. lib. 1. cap. 26. de Perjur. ejusq; pœnâ n. 3.* Cessante enim dolo, licet quis sit in culpâ, non tamen dicitur perjurus. *l. qui jurasse. 26. & ibi not. Alex. de Immol. Paul. de Castr. Jas. & Dd. de jurejur. Gœden, conf. 106. n. 20.* Nam perjurium dupliciter consideratur, 1. Ut formale, quando ex intentione quis jurat falsum, quia scit se non jurare verum, & tamen vult jurare; & istud perjurium est propriè & verè falsitas, & tale perjurium sine dolo non committitur. *Grat. lib. 1. resp. 50. in fin.* 2. Ut materiale, cum quis non intendit jurare falsum; & tamen falsum ipsum jurat. Licet enim per-

jurium

jurium dicatur; tamen non est verè perjurium, nec dicitur falsitas, ita ut de perjurio & falsitate puniri possit, ut eleganter apud Seraphin. *privil. 32. n. 11. & 12.* Cui distinctioni egregiam lucem adferunt ea, quæ tradit Clariss. Hornejus in *Ethicâ, libro 5. capite supra thesi 9. allegato.* Quid autem de falsâ juratione sentiendum sit, & quando in eâ subsit perjurium vide Setser. *lib. 1. cap. 28. de perjur. ejusq; pœna n. 9. & seqq.* (d) Quæ novissimis Imperatorum constitutionibus in certis quibusdam casibus certa est. *l. si quis major. C. de transact. l. pen. C. de dignit. t. t. C. de custod. reor. Nov. 117.* quorum quinq; recenset Setser. *d. loco n. 13.* & ultimò addit pœnam perjurii ex const. criminali Carol. V. *art. 107. & 108.* quæ est amputatio duorum digitorum, quibus juratum est. Et hæc in genere de utilissimâ juramentorum materiâ pro præsentî instituti nostri ratione ita breviter tradidisse sufficiat.

*DEO in Trinitate Uni & in Unitate Tri-
no sit laus, honor & gloria in sempi-
terna secula.*

F I N I S.





Ka 3897a

(x 261 7073)

V07







III.
DISPUTATIO JURIDICA
De
JURAMENTIS
IN GENERE,

Quam
Auspicante DEO ter Opt. Maximo,
&
Consentiente Magnifico atq; Amplissimo in celeberrimâ ad Albim Academiâ JCTORum Ordine,
SUB PRÆSIDIO
Clarissimi & Consultissimi VIRI,
DN. CHRISTIANI *Rembergk* /
J. U. D. Juridicæ Facultatis Adessoris, & Judicii
Electoralis Curie Advocati dignissimi &c. Præceptoris ac Fautoris sui æviternum colendi,

Publicè ventilandam proponet
MELCHIOR Hoffmeister Alfeldiâ-Brunsvig.

Ad diem 19. Novemb.
In Auditorio JCTORum.

Isocrates ad Dæmonicum.

Juramentum tibi delatum duabus de causis suscipe, vel, ut teipsum turpi suspicionem liberes, vel ut amicos è magnis periculis eripias. Pecunia verò causâ, etsi vera dicturus sis, DEUM non juraveris: ne aliis perjurus, aliis avarus esse videaris.

WITTEBERGÆ
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH.
ANNO clō 1ō C XXIX.